



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1925

Acta Sanctorvm Omnivm Annvntiata A. MDCVII Pvblicari Coepta A.
MDCXLIII Intermissa A. MDCCXCVI Resvmpta A. MDCCCXXXVII

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72556)



Cum ante annos quindecim, absoluto tomo tertio Novembris, tomus hiee quartus informari coeptus est, nemo prospicere poterat longam rerum adversarum seriem, quae operis nostri incolumitatem propemodum in discrimen adduxit. Non plane improvisus, gravis tamen et acerbus in primis accidit casus, quo nobis abreptus est vir venerabilis Carolus De Smedt, Bollandiani collegii praeses, cuius acumine et eruditione non hagiographicis tantum studiis sed aliis etiam historiae ecclesiasticae disciplinis viae quondam novae apertae sunt. Ad optimum magistrum praematura morte mox adiunctus est P. Albertus Poncelet, in cuius impigra et perdiligenti scientia tota nitebatur Actorum pars non modica quae ad antiquitates aevi medii pertinet. Antequam huius funestissimae cladis remedium ullum in futuros annos parari potuit, crudeli morbo inter belli aerumnas confectus est P. Franciscus Van Ortroj, quem ad diuturnam vitae institutique societatem nobis reservatum sperabamus. Carissimos sodales et perpetuo desiderio dignos, primo post cuiusque obitum tempore, in *Analectis Bollandianis* brevi elogio prosecuti sumus. Quorum etsi nomina in fronte communis olim operis non iam leguntur, memoria tamen librum complet, cui totiens defuisse sentimus amicam eorum sollertiam. Ipsi autem in beata pace sanctis, ut speramus, adiuncti gratum habeant laborem, in quo, dum eorum vices impari conatu sustinemus, adiumenti mutui pristinis officiis fungi nobis videbatur.

Interea vitales operis condiciones ultra omnem modum ingravescabant. Difficultates et impedimenta quibus tempore belli universalis nostra studia constricta fuerunt commemorare otiosum est, quandoquidem flagrante orbe terrarum artes umbratilesque disciplinae tot in locis pari vel etiam graviore calamitate percussae fuerunt. Sed postquam pax utcumque refluoruit, non tamen ubique in re publica litterarum restituta est pervia societas et communicatio utilitatum quam studiorum nostrorum natura nunc maxime postulabat. Qui enim hunc tomum vel strictim pervolverit ilico perspiciet in *Actis*

Sanctorum alium non editum esse qui tot peregrinorum documentorum virgultis ac fructibus horreret. Hanc silvam extricare ne tunc quidem leve fuisset, quando et bibliothecarum aditus patebat, percontationis instrumenta in promptu suppetebant et in longinquis etiam terris viri docti per internuntium aut datis litteris nullo negotio interrogari poterant. Quanto minus nunc cum scientiae pervestigationes improvisa ubique impedimenta morentur, eruditionis thesauri multis in locis infensius custodiantur quam poma Hesperidum et ad codicum notitiam comparandam Argonautarum expeditionem renovari oporteat. His difficultatibus sola exspectatio mederi poterat, et ipsa quidem incerta, in qua plus inerat aleae quam securitatis. Cum igitur dubia spes praesentibus incommodis praeponderari videretur, moram abrumpere maluimus; et in elucidandis Actis quae importuna nobis necessitas obtrudebat, eo librorum apparatu contenti fuimus quem diligenti nec tamen nimia et intempesta inquisitione comparari licuit.

De voluminis argumento ambigua etiam optio suborta est. Sane nobis ipsis non placet duos tantum dies hoc tomo comprehendere neque praefinito consilio hic terminus primum constitutus fuit. In principio quidem sperabamus fore ut diebus nono et decimo novembris etiam undecimus adici posset. Itaque commentarios exonerare et quam maxime contrahere conati sumus, iis omnibus amputatis quae in nostris sive *Analectis Bollandianis*, sive *Subsidiis hagiographicis* iam satis explicata videbantur. Sed quantumvis brevitati studeremus, mox comperimus locum non relictum iri qui diem 11 novembris commode caperet, ad quem praeter aliam promiscuam farraginem pertinet moles ingens Actorum S. Martini Turonensis. Neque sane, ut nunc domi et foris se res habent, prudenter committi poterat ut liber non pondere tantum sed etiam pretio legentes fugaret. Omnibus igitur ultro citroque perpensis, consultius visum est post diem decimum parumper consistere. Ne tamen hinc tomus aliis multo exilior esset, appendice auctus est in qua hospitati sunt Sancti quidam, quorum festum aut nulli certo diei videtur assignatum fuisse, aut suo loco quaqua de causa praetermissum fuit.

Etsi tomus, uti diximus, ad minorem modulum redactus est, eum tamen prelo mandare in nostra non erat facultate, quo pretio nunc constat opera typographorum. Inopiae nostrae benignissime succurrerunt amplissimi viri curatores aerearii academici, quod stipe publica et largitione Civitatum Foederatarum Americae constitutum est ad perpetuum Belgicae eruditionis subsidium. Grato et memori animo praesertim nominare nobis cordi est Illustrissimum Dominum Paulinum Ladeuze, Universitatis Lovaniensis Rectorem Magnificum, et Henricum Pirenne, in Universitate Gandavensi Professore, historiae patriae lumen, qui apud eos quorum intererat causam nostram egerunt et auctoritate sua pervicerunt. Insignis benefacti quod ab utroque et ab eorum clarissimis collegis in praesenti discrimine accepimus, quasi perennis titulus esto hic liber, qui nisi adfuisset eorum munificentia, incerta cum spe lucem adhuc exspectaret.

In ipso editionis negotio grandem laboris ac sollicitudinis partem habuit carissimus noster P. Robertus Lechat, qui non modo documenta spectantia ad Vitas S. Helenae Hungariae, S. Iohannae de Signa, B. Gratiae, B. Ambrosii Massani, S. Andreae Avellini collegit atque digessit, sed etiam in multiplici et permolesto voluminis apparatu curando, corrigendis plagulis, schedulis indicum ordinandis, indefessam diligentiam adhibuit. Sanctorum celticorum Acta edidit et enucleavit maturae iam eruditionis juvenis Paulus Grosjean S. I., consilio et adiumento fretus magistrorum suorum Caroli Plummer et Iohannis Fraser, ex illustrissima Academia Oxoniensi. Quas ille summis ac benevolentissimis viris egit gratias, hoc loco, Bollandiani collegii nomine palam iteratas volumus.

Inter ceteros benefactores et amicos qui, sive sponte, sive rogatu nostro, suam operam nobis exhibuerunt, praecipua quadam mentione digni sunt Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Ludovicus Petit, Archiepiscopus Atheniensis, cui acceptam referimus Vitam graecam S. Mariae iunioris; beatae memoriae Eduardus Kurtz, vir eximiae pariter doctrinae et modestiae, cuius oracula quamdiu consulere potuimus, nullus nobis in graecis litteris nodus inexplicabilis fuit; Robertus P. Blake ex Universitate Harvardiana, qui in artissima et ipse otiorum angustia armeniam Passionem S. Isbozetae cum codice Veneto pro nobis contulit, et eiusdem epitomen Hierosolymitanam describi curavit; tandem R. P. Aristaces Vardanian, qui editionis nostrae folia duo prelo iam submissa perlegit.

Officiosa cum benevolentia, quae quanta sit novit universus prope orbis terrarum, nostrum inceptum iuverunt homines litteratissimi qui Romae praesunt bibliothecae Apostolicae Vaticanae, Londinii Museo Britannico, Mediolani bibliothecae Ambrosianae, Oxonii Bodleianae, Parisiis Nationali, in Belgio tandem ei quae nostrae importunitati maxime obnoxia erat, Regiae Bruxellensi. Reliqui viri docti aut eruditorum sodalicia, qui ad nostros commentarios e studiorum suorum fructibus aliquid contulerunt, ne a nobis oblivioni traditam existiment suam operam, quod hic nominatim memorari non potuerit.

Neque silentio praeterire fas est diligentem industriam typographorum Iulii De Meester et filiorum, qui in vasta et intricata huius voluminis compagine tamdiu nobiscum insudarunt. Horum et nostra obstinatione tentatum esse confidimus quicquid curae et vigilantiae adhiberi poterat, ne iusto longius recederemus ab emendata illa elegantia, quae nunc quasi recrudescente passim barbarie, aureum quoddam somnium videtur fortunatioris aetatis.

Haec fere in limine huius tomi praefanda erant; cuius ambitio una fuit in gravi procella animulam servare operis Bollandiani. Etsi vero antiquam huius laudem non assecutus est, — neque enim poterat, — speramus tamen eum sequenti tomo viam muniturum esse, qui favente Deo O. M., novatis viribus, in temporum minus adversa condicione parabitur.

HIPPOLYTUS DELEHAYE

PAULUS PEETERS

Bruxellis, pridie kalendas decembres, an. MCMXXV.